

Dispp. Thh. Vol. 1.



Oelth 61 Q (1-34)

2
3
4
5
6
7
8
R



DISPUTATIO

EUCCHARISTICA

Exhibens

PRIMUM OR.

THODOXÆ, DE INTERPRETATIO-

NE VERBORUM CŒNÆ, SENTENTIÆ

FUNDAMENTUM

Nempe

IPSA VERBA INSTITUTIONIS.

QUA SUPER

CONDITORE NOVI FOEDERIS VERA-

RACISSIMO VEXILLUM VERITATIS

attollente

SUB UMBONE

DN. GREGORII FRANCI,

SS. Th. D. & P.P.

facultatis ejusdem p. t. DECANI

INGENIO CERNET

JOACHIMUS MAGIRUS,

Angr: Marchicus

ad d. XIII. Decembr.

In Asceterio Philosophorum majori

ANNO SALUTIS

recentata

M. DC. XXI.

Literis

HARTMANNIANIS,

420



DISPUTATIO DECIMA

Partis secundæ

CONTINENS

*Fundamentum primum Orthodoxæ sententiæ de**Interpretatione verborum Cœnæ nempe*

IPSA VERBA INSTITUTIONIS.

QUI non tam ambitiosum quàm firmum aliquod molitur ædificiũ, quod suis nixum fundamentis, validum circumductis muris, cameris, cõclavibusq; ordinatum, & culmine decoro fastigiatũ adversus tempestates & ventorum impetus duraturũ sit, id sibi curæ esse patiuntur ante omnia: ut terram colliculis fortè & scrobibus inæqualem cõplanent, lacubus humentem perpurgent, omniaque obstacula diligenter removeant, quæ institutas architecti fabrorumque operas remorari possint.

II. Nos quoque in eo hæctenus fuimus, ut jaciendo fundamento spacium à sordibus purum, à lacusculis siccum, à falebris anfractibusque liberum beneque ordinatum haberemus; in quo nostrum, quod meditamur, ædificium extructuri nunc sumus, & DEI auxilio suffulti lapides illos magnos disposituri: quibus tota deinceps moles murorum, tectorumque, atque contignationum variæ concamerationes inniti tutò sineq; omni ventorum irruentium, eluvionumq; tumescentium periculo firmum atque inconcussum perstare possit.

III. Lapis *ἀνεργωνιᾶς* funto nobis ipsa verba Institutionis cœnæ, à Christo solenniter in cœtu Apostolorum, totam Ecclesiam repræsenteante promulgata, eaque in Ecclesia tota Catholica propter instituentis auctoritatem atque potentiam, ad extremum usque ejus ad nos adventum valitura. His eam credimus ex ipso Christi facto, & ejus quod

Ggg 2

cum



cum discipulis tum gerebatur negotii natura serieque circumstantiarum, quæ in quavis actione ad scopum agentis cognoscendum, rei; ipsius, quæ tractatur, naturam intelligendam plurimū momenti habent (*teste Augustino l. LXXXIII. Quest. q. 69.*) inesse evidentiam, perspicuitatem & nervositatem: ut Antagonistarum nostrorum inutiles & vanas absurdasque conjecturas, quibus suas opiniones statuminant & fulciunt, statim disjiciant & dissipent.

IV. Equidem certus sum, cui primæ cœnæ facies obversa, tur, cum de Veritate quam tuemur, ne dubitandi quidem materiam aliquam, aut levem habere posse occasionem; præsertim si ludicra illa commenta expendat, quibus nobis & clarissimæ veritati Pontificii ac Lutheriani obstrepunt: *I. Jesus Christus* (inquiunt) *est verus, essentialis, naturalis, perfectus DEUS & homo in unitate personæ inseparabilis & indivisus.* Ergo corpus ejus manducatur oraliter. *II. Dexteræ DEI est ubiq;* ad eam autem Christus ratione humanitatis suæ verè & realiter collocatus est: ideoq; præsens gubernat & in manu sua habet omnia, &c. E. corpus ejus substantialiter est in hostia. *III. Verbum DEI non est falsum & mendax:* Ergo verba sacramentalia *ἢ τὸ πρῶτον* accipienda sunt. *IV. DEUS* varios modos novit & in suâ potestate habet quibus alicubi esse potest. E. eo, quem fingunt Concordistæ, modo, & non alio est in pane. Hæc illa Concordiæ Ubiquitariæ argumenta sunt, quæ extant in art. de cœna Dn p. 600 Edit. Lips. Suarius vero q. 75. a. 1. disp. 46. f. 3. p. 515. in 3. part. Thom. T. 3 & cum eo Jesuitæ atque Pontificii moderni; *Ecclesia*, inquiunt, (*Pontificia*) *hoc dogma sanxit:* E. est verum. *II. Patres ita intellexerunt* (quod tamen falsissimum est) *Verba cœnæ.* Ergo ex mente nostra sunt interpretanda. *III. Christus instituit sacramentum.* E. panis mutatur in corpus Christi, *IV. Nihil inde sequitur absurdi.* E. quod dicimus, verum.

rum.

rum est. *V. Christus familiariter agebat eum discipulis.* E. mutavit panem in suum corpus, &c.

V. Hæ & consimiles, pene dixerim, nugæ, cujus quæso, æstimii sunt, eujusve penh, si cum evidentia negotii Eucharistici, actionumque & verborum Christi energia conferantur? cum nostris item fundamentis petitis ex propria natura *Subjeçti* nempe Panis in proposit. H. E. C. M. ? ex propria naturâ *predicati*: nempe corporis Christi veritate? ex *comparatione* Verborum Institutionis inter se? ex naturâ item Sacramentorum? ex Christi scopo? ex *novitiâ* fidelium cum Christo, & explicatione Verborum Cœnæ quam tradit Apostolus 1. Cor. 10. & 11. capp? ex Christi ipsius concione habita Johannis VI? ex naturâ fidei & instrumentorum divinorum? ex perpetua salutis acquirendæ ratione? ex absurdorum oceano, in quo tanquam inter monstra horrenda atque innumerabilia, navigat oralis comestio? ex tota denique orthodoxa Antiquitate? Imò etiam ex numero testium veritatis, qui hanc nostram doctrinam per tormenta incredibilia constanter retinuerunt, & superioribus annis sanguine suo obsignarunt? Hæ tot rationes totidem fundamenta sunt inexpugnabilia, quæ ab Adversariorum oppositionibus vix stringuntur, nedam labefactantur. Nunc ad rem.

VI. De verbis Institutionis hoc primò quæritur: An pro fundamento controversiæ hujus dijudicandæ arcessenda sint: seu An sint norma iudicii de veritate expositionis atque interpretationis eorundem? Imputant nobis Adversarii quod statuamus ex verbis institutionis hanc controversiam decidi non posse, allegantque Calvinum ex defens. 2. contra Westphalum, Bezam ex hom. 2. de cœna: Bullingerum, Tigurinos Theologos, & quos, nescio, alios.

VII. Sed neque istorum, neque nostrum cujusquam ea unquam



quam fuit opinio, quod expositio nostra vel nullum vel exiguum in verbis institutionis repositum habeat praesidium. Quomodo enim propriam sedem cujusque argumenti negligere possemus, qui rei summam totam ex sanctione Christi aestimamus? Quod si tamen aliquid affertur quod in eam sententiam dictum à Nostratibus videatur, id non aliò referendum est, quam ut infrunitæ quorundam vociferationes retundantur: qui coeco ducti impetu & praëjudiciis suis fascinati, aures, oculos, animosque sibi obturant & obdurant, tantumque verba, verba ingeminant: quod dum faciunt nihil sententiæ, nihil rationis admittunt, sed postquam satis vociferati sunt, quasi re benè gesta tandem conticescunt, seque conscientiam Verborum Christi solantur, profitenturque se in verbis Christi unicè velle acquiescere, nihilque vel dicere vel audire amplius.

VIII. Hos homines magnus quidam stupor compeditos tenet: nam revera nesciunt, quid sit verbum Christi, & quam propè absint à Magorum & Sagarum impietate: qui mortiferam illam quam profitentur atque exercent scientiam, in verborum pronuntiatione atque characterum effigiatione, quibus singularem quandam energiam tribuunt, constitutam esse arbitrantur: eò quod effectus iis nonnulli respondere soleant.

IX. Hunc detestabilem errorem averruncare conantes nostri quidam Dd. non tam verbis ipsis, quam sententiæ eorum rationumque momentis inhærendum esse statuerunt. Etenim verbum DEI, quatenus tantum in minutiis dictionum & apicibus literarum consistit, non est Verbum DEI: sic nec; quando tantum pronuntiat. Indicium hujus rei est, quod qui in coetu quamvis magno peregrina linguâ, seu ut Paulus, vocat, barbara inter idiotas sacra peregerit, nihil fecisse cencatur: id quod ex 1. Cor. 14. liquidò demonstrari potest.

Verbum.

X. Verbum DEI, uti pronuntiant Orthodoxi, in duobus duntaxat locis propriè est verbum DEI: in mente nempe hominis intelligentis & credentis verbum, & in mente DEI promittentis. Literæ & libri, quibus scriptura divina continetur, signa potius sunt & characteres verbi divini, quàm ipsum DEI verbum. Quare qui literas tantum habet & syllabas atque dictiones seu phrasas scripturæ, quatenus de intelligentia earum minimè sollicitus est, Verbum DEI habere non rectè dicitur.

XI. Pertinent huc infinita scripturæ dicta, quæ nobis iudicium atque intelligentiam commendant, & negant in sermone consistere Verbum DEI: quæ item explorationem nostri nobis insinuant, & circumspicere jubent, num simus in fide: qualia multa allegavimus in disput. 15. part. 1. thes. 5. 6. 7. 8 & c. ex quibus sancti PP. sequentes regulas condiderunt: Verbum DEI non rectè intellectum, non est verbum DEI. Theodor. *ὅτι ἐν ὀνόματι κυρίου ἡμῶν ἀληθεια, ἀλλ' ἐν ἀποκρύπτουσι*, id est, *Nobis non in nominibus, sed in rebus est veritas*. S. Maximus in disput. cum Pyrrho Monothelitâ qui hoc ex Gregorio Nazianzeno allegat. V. Baron. T. 8. p. 681. *Sermo quem legimus secundum illud quod exprimit, non quod litera ostendit, interpretandus est.* Ambros. 13. de fide cap. 3.

XII. Hieronymus: *Ne putemus, inquit, in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Nam & Diabolus & hareses omnes verba usurpant scripturarum, & Evangelii sonant voces: sed perversa interpretatione de Evangelio Christi fit hominis Evangelium, imò quod pejus est. Diaboli Evangelium* in cap. 1. ep. ad Gal.

XIII. Audiant hæc Adversarii, & in animum admittant qui ad ravim usque verba verba clamant: credantque quod verba sic accepta, eos non justificent nec absolvant in die iudicii



dicii coram illo qui clamavit: *angeli non omnia audite atq; intelligite* Mat. 15, 10. Luc. 8. v. 8. & 18. Quod addit Hieron: hereses omnes verba scripturarum usurpare ex historia Ecclesiastica & experientia temporum omnium abunde conspicuum est. Arriani olim circa unum scripturæ locum obbrutescentes Joh. 14. v. 20. *Pater major me est*; veram Christi divinitatem ejurarunt; atque ita ob læsam majestatem Filii Dei æternum perierunt. Nec juvit illos quod contenta voce adversus Ecclesiæ fidem iterum iterumque exclamarent: *Pater major me est, Pater major me est, Pater major me est.*

XIV. An: hromorphitæ verba verba intonabant: *Fasciamus hominem ad imaginem, ad similitudinem nostram*, Genes. I. 26. Et: *Creavit Deus hominem, in imagine sua, in imagine Dei creavit eum.* His nihil in speciem evidentius est & nervosius, si claritatem ex verbis metiris. Attamen cum verbis hisce iidem hæretici perierunt: quia à sensu vero horum verborum aberrarunt.

XV. Patropasiani & Sabelliani suum errorem ex verbis Christi defendebant: *Ego & Pater unum sumus*, Joh. 14. 30. *Fuerunt* (inquit Augustin. de C. D. lib. 21. c. 19) *qui ex hoc loco: si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, dicerent. qui participes fierent corporis Christi quomodolibet viverent, in quacunque heresi, vel impietate essent, ab æternâ morte erui, & ad vitam æternam quandoq; perduci.* Gnostici apud Epiphan. hæref. 26. ex his ipsis verbis: *Hoc est C. M. Hic est S. M.* horrendarum abominatio- num occasionem captarunt: quas ob fœditatem, horret animus meminisse. Ex quibus omnibus liquet, verbis que & qualia Antagonistæ prætendunt, eorū causam lædi potius quam sublevari: id quod Reformati significare toties voluerunt quoties à verbis ad sententiam & rationes provocarunt.

XVI. Nec malè quoque eò respexerunt, ut ne rationes ex aliis fidei Christianæ articulis & capitib. petita, negligètur.

Est

Est enim fides nostra, cum suis partibus omnibus quasi *castrorum* quaedam acies ordinata, ut dicitur Cantic. 6. 1. & secundum Philippum Melanctonem: *Fides est tota quaedam copulativa*. Qui ergo ita sententiam vel quæstionē aliquam fidei tractat, ut quæ certæ veritatis sunt alia multa subvertat & labefactet, procul dubio falsitatem tuetur. Veritas enim semper & ubique sibi est similis: τὸ ψεῦδος πολυχιδές καὶ πολύμορφον. Nulla inquit Tertull. de præscriptionibus cap. 9. *vox divina, ita dissoluta est & diffusa, ut verba tantum defendantur & ratio verborum non constituatur*. Sanè Verbum Dei non est ἀλογον; & Filius ipse λόγος & omnis rationis principium est atque origo. *Illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum* Joh. 1. v. 9. Quia ergo adversariorum sententia evertit omnes articulos fidei, planissimum est eos mētem Christi non habere 1. Cor. 2, 16. licet cortices & verborum folia teneant & dicant: *Dominus dixit, Dominus dixit*, Ezech. 13, v. 6.

XVII. Tertio loco id quoque nos cogit, ut sententiam cōtra verba adversariorum tueamur, quod videamus eos nativam & genuinam phraseos hujus: *Hoc est C. M. seu Panis est corpus Christi* sententiam minimè retinere, sed in varias opiniones scindi ac dividi, quæ cum τὸ ῥητὸν verborum minimè conciliari possunt.

XVIII. Verba hæc *Panis est corpus Christi*, si propriam eorum spectes significationem hunc sensum conficiunt: Panis est in sua substantia aut natura corpus Christi, seu Hic panis, quem benedictum & fractum porrexit Christus, est verum & essentialiale corpus ejus pro nobis traditum. Seu quod idem est: substantia hujus panis est substantia corporis Christi. Item: Hoc vas quod consecratum dedit Christus, est verus & essentialis sanguis ejus pro nobis effusus, &c. seu quod idem est, substantia hujus poculi est substantia sanguinis Christi. Item: Hoc poculum est N. T. in sanguine Christi, qui pro nobis effunditur,

H h h

ditur,



ditur, i. e. Hoc vas est ipsa conföderatio sancita in sanguine Christi pro nobis effusa in remissionem peccatorum.

XIX. Hanc expositionem ad literalem & simplicem intellectu verborum Christi necessariam esse, omnes, opinor, homines fateri oportet. Nam vocula *Est* identitatis est nota, & eius verè ac propriè acceptæ: ut aliàs significavimus. Nec latius patet proprietas phrasium, & sensus literalis cujuslibet enuntiationis, quàm identitas: ut sensus etiam communis demonstrat, Da enim contrarium, & eris mihi magnus Apollo.

XX. At nemo est qui per istam talem proprietatem dicat, Panem esse corpus Christi. Pontificii enim suum τὸ ῥητὸν verificare nituntur extransubstantiatione, quam tamen verba Christi nullo modo admittunt: Lutheriani in varias abeunt sententias, & modò synecdochen ingerunt, modò complexum suum inculcant modo unionem panis & vini cum corpore & sanguine Christi obtendunt: cum tamen omninò certum sit & evidens, his omnibus modis, quos adsignant, τὸ ῥητὸν seu literalem & proprium ac genuinum sensum everti. Quia ergo ipsi Antagonista nò dicunt panem esse propriè corpus Christi, i. e. substantiam panis esse substantiam corporis Christi, (ut nec reliqua, quæ enumeravimus) ideo *gratis nos oderunt*, & quas in nos ceu tropistas & figuratores egurgitant injurias, eas tanquam proprium vomitum relambunt.

XXI. Hinc jam emergit nostra demonstratio, quam infallibilem atque irrefragabilem esse scimus: *Quod non est propriè corpus Christi, illud est corpus Christi figurativè seu significativè. At panis non est propriè corpus Christi. & significativè, tropicè, allegoricè, sacramentaliter, typicè, exemplariter.*

XXII. Major tibi constat ex lege contradictionis. Nam proprietas & improprietas non habent medium, ut constat. Minor manifesta est. I. Ex adversariorum confessione: quam in peculiari paulò post secutura Disputatione planè faciemus.

II. Ex

II Ex natura, proprietatibus, attributis & conditionibus panis & corporis Christi: ut monstravimus in Disputatione de Disparatis 1. part. 2. Quia enim numero, essentiâ, definitione, adjunctis differunt Panis & corpus Christi, impossibile est, alterum propriè & literaliter dici & esse posse alterum III Ex comparatione locutionum sacramentalium, quæ in verbis institutionis à Christo usurpantur. Quomodo enim poculum est novum fœdus in sanguine Christi: eo modo etiam Panis est corpus. At non propriè vas illud est fœdus, sed est signum fœderis. E. neque panis propriè est corpus, sed signû vel signaculum corporis. IV. Ex ipsis Pontificiorum & Lutherænorum interpretationibus: siquidem utrique videri volunt τὸ πρῶτον tueri: cum tamen infestis armis inter se pugnent: πρῶτον autem non nisi unum est: sequitur ergo, vel alterutros, vel, quod verius est, neutros τὸ πρῶτον retinere. V. Ex sacramentalibus aliis locutionibus, quæ de ipsa Eucharistia, occurrunt in scriptura V. Testamenti: Poculum enim dicitur effusum in remissionem peccatorum Luc. 22, 20. Corpus dicitur fractum: 1. Cor. 10. v. 24. Sanguis dicitur bibi & corpus comedi Matth. 26. vers. 26, 27. Luc. 22. vers. 19. 20. Marc. 14. vers. 22. 23. 1. Corinth. II. vers. 24. 25. Cum tamen non ipsum poculum effusum sit in remissionem peccatorum, sed sanguis Christi: non corpus Christi fractum, sed panis: cum non sanguis realis & verus bibi possit, sed comedi ut ex Lev. 17. vers. 10. Deut. 12. vers. 16. constat: ubi de sanguine vero non bibendo (hoc enim fieri nequit, ut experientia quoque testatur) sed comedendo edictum sancitur: cum denique nulla vera comestio sine masticatione, cibi comminutione, demissione in stomachum, &c. esse queat. Hæc itaque omnia, quia figurate seu sacramentaliter accipienda sunt, sequitur ipsam quoque locutionem, quâ Dominus panem corpus suum



suum appellat figurate esse accipiendam. VI. Ex evidente diver-
sitate harum duarum locutionum: Panis est corpus Christi, &
In pane vel ejus accidentibus est corpus Christi. Nemo tam est ab omni sensu desertus, qui non intelligat toto cœlo discrepare hæc duo enuntiationum genera. Quare mirum est, quod tantum sibi tribuunt Adversarii, ut confidant sese nobis persuadere posse, eandem istarum locutionum vim esse & potestatem.

xxiii. VII. Quia Cajetanus, maximi nominis Pontificius Scrip-
tor in Com. ad Thom: Aquinatem fatetur, *seclusâ autoritate Ecclesia verba Christi ad confirmandam realis corporis in pane præsentia nō sufficere*: id quod omnes penè Scholastici aut disertis verbis, aut certè haut multū obscuris concedere solent: præsertim quando agunt de transsubstantiatione. Hoc n. dogma defendi posse diffidentur, nisi Ecclesia, quam vocant, suam ei autoritatē attexuisset, & credendi necessitatē suis membris imposuisset. Vide Suarium qu. 75. art. 1. disp. 46. l. 3. in 3. part. Thomæ p. 515. qui ibidem addit, *necessariā esse in Ecclesiā vivam regulam, quæ spiritū habeat & autoritatem interpretandi scripturam; nec esse hæreticū dicere, quoad nos non sufficere illa verba nisi accedat Ecclesia traditio & definitio. Nam si quis (inquit) seclusa autoritate Ecclesia sine pertinacia aliter explicasset illum locum, non esset hæreticus*. Hæc ille: quibus nos absolvit ab hæresi, qui Romanam Synagogam pro Ecclesia Catholica non agnoscimus.

xxiv. VIII. Ex descriptione deniq; corporis & sanguinis Christi, quæ literalē sensum omnino perimit. Hinc n. evincimus, nō id corpus datum fuisse discipulis in cibum, quod mensa assidebat, edebat, bibebat, loquebatur cū discipulis: sed quod tradendum erat in mortem, & crucifigendum. Crucifigunt ergo quantum in ipsis est, & effundunt denuo sanguinem Christi, qui oralem comestionem & literalem suam sententiam tuentur.




617.

di

m-

22.





21.
24

DISPUTATIO

EUCCHARISTICA

Exhibens

PRIMUM OR.

THODOXÆ, DE INTERPRETATIO-

NE VERBORUM CŒNÆ, SENTENTIÆ

FUNDAMENTUM

Nempe

IPSA VERBA INSTITUTIONIS.

QUA SUPER

CONDITORE NOVI FOEDERIS VERA-

RACISSIMO VEXILLUM VERITATIS

attollente

SUBLYMONE

